

etiam *in foro justificationis*. Dicendum ergo I. in Theoria Legem et Evangelium esse distinctissima, conjungi autem in legibus quibusdam circa Evangelium, sine omni tamen confusione. II. In Praxi quisque homo distinctissime uti debet lege et Evangelio: illa ad agnitionem peccatorum et dolorem de iisdem in poenitentia sive contritione, tam magna, quam quotidiana; hoc ad fidem excitandam, augendam, firmandam, ad justificationem obtinendam, ubi omnis respectus legis et operum legis exulat; postea vero lege iterum opus est pro sancta vita & bonis operibus. Conjunctio, quam B. LUTHERVS innuit, in eo maxime consistit, quod unum alterum sequi debet; & temporis intervallum inter effectus utriusque quandoque non est sensibile, imo plane nullum, quo tamen non obstante Lex et Evangelium et in se manent distinctissima, et effectus utriusque sunt distinctissimi, tristitia nimirum et laetitia, metus atque spes. Propius autem connectuntur in legibus circa Evangelium, quae contritionem operantur et vitam sanctam dirigunt. III. Ministri Ecclesiae legem et Evangelium in Praxi distinguere debent, ut illam inprimis securis, hoc contritis praedicent, id quod ὀρθοτομεῖν ex 2. Tim. II. 15. cum libris Symbolicis appellare solemus. Nec minima imprudentiae Pastoralis pars est, Evangelio solari securos, lege magis terrere contritos. Conjunctio autem legis et Evangelii necessaria est, partim ob effectuum conjunctionem vel successionem necessariam num. II. indicatam, partim quod in uno eodemque coetu publico et securi et contriti reperiuntur, partim etiam et quidem praecipue in legibus divinis circa Evangelium, quibus et irrogeniti et regeniti ad contritionem permoveri debent. In postremo hoc momento maximam partem consensisse B. D. TREVNERNVM et S. R. D. D. LOESCHERNVM elucescit e numeris III. IV. V. Consilii Irenici jam ante excerpti, qui hujus sunt tenoris: III. Spera-  
tur